

1529 28. Iulii.

Ex Orig. Arch. Sicut et
omnibus

146

Sigismundus Dei gratia Rex Polonia Magnus Dux Lithwa-
nie Russia totiusq; Prussia ac Masovia etc. Dominus et
haeres. Significamus tenore presentium, quibus expedit,
universis. Quia ad intercessionum quorundam consiliari-
orum nostrorum pro Venerabili Stanislaeo Lipniczki
Canonico et officiali Sandomiriensi apud nos factam,
ei ut vineam in suburbio Sandomiriensi, penes vineam
Monasterii Sanctae Crucis ab una parte, et vineam Lu-
kasch Civis Sandomiriensis ab altera parte sitam et ja-
centem emere, et comparare valeat et possit, consensimus,
consentimusq; Et quatenus eam jam emerit possessione
forsan subsecuta, emptionem ipsam approbamus, rati-
ficamus et confirmamus tenore presentium mediante
per ipsum Stanislaum Lipniczki vineam predictam
cum omnibus utilitatibus, commoditatibus, fructibus,
proventibus et obventionibus universis tenendam, haben-
dam possidendam, ac in suos suorumq; posterorum
usum et fructum juxta beneplacitum convertendam,
juribus et oneribus tamen nostris Regalibus et Civilibus,
si quae eidem vineae annexa sunt, salvo manentibus.
Harum quibus sigillum nostrum annulare est sub-im-
pressum testimonio literarum. Datum Vilnae Vigesima
Octava Septembris. Anno Domini Millesimo Quingen-
tesimo Vigesimo nono. Regni vero nostri anno vigesimo
tertio. Sigismundus Rex.

